UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

6 Vtrum eorum sit scandalizate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72772

Visual Library

¶ *Super quaſt. quadrageſimatertia articulum quintum, & ſextum.*

IN artic. 5. & 6. hoc aduerte, ꝙ cùm in ſexti corpore dicitur, ꝙ ſcandalum actiuum proprie eſt, cùm quis tale aliqd dicit, vel facit, quod de ſe tale eſt, vt alterũ natũ ſit inducere ad ruinã, quod quidem eſt ſolum id, quod inordinatè fit, vel dicitur, author p id quod inordinate fit, aut dicit, intelligit non ſolum ſecundum ſe malũ, ſed habẽs ſpeciem mali: quoniã vtrũq; inordinate fit, & eſt peccatum, vt patet in art. 2.

ARTICVLVS V.

Vtrum ſcandalum paſſiuum poſſit etiã in perfectos cadere.

AD QVINTVM ſic procedit. Videtur, quòd ſcandalum paſſiuum poſſit ẽt in perfectos cadere. Chriſtus. n. fuit maxime perfectus: ſed ipſe dixit Petro, Scãdalũ mihi es: ergo multo magis alii perfecti poſſunt ſcandalum pati.

¶ 2 Præt. Scãdalum importat impedimẽtum aliquod, quod alicui apponitur in uita ſpirituali: ſed ẽt perfecti uiri in proceſſibus ſpiritualis uitæ impediri poſſunt, ſecũdum illud 1. ad Theſſal. 2. Voluimus uenire ad uos, ego quidem Paulus ſemel & iterum, ſed impediuit nos ſatanas: ergo etiã perfecti uiri poſſunt ſcandalum pati.

¶ 3 Præt. Etiam in perfectis uiris peccata uenialia inueniri poſſunt, ſecundum illud primę Ioannis 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus: ſed ſcandalum paſſiuum non ſemp eſt peccatum mortale: ſed quandoque ueniale, ut dictum eſt. * ergo ſcandalum paſſiuum poteſt in perfectis uiris inueniri.

SED CONTRA eſt, quod ſuper illud Matth. 18. Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, dicit Hierony. * Nota, quòd qui ſcandalizatur, paruulus eſt: maiores enim ſcandala non recipiunt.

RESPON. Dicendum, quòd ſcandalum paſſiuũ importat quandam commotionem animi a bono in eo, qui ſcandalum patitur. Nullus enim commouetur, qui rei immobili firmiter inhęret. Maiores autem, ſiue perfecti, ſoli Deo inhærent, cuius eſt immutabilis bonitas: quia etſi inhæreant ſuis prælatis, non inhærent eis, niſi inquantum illi inhęrent Chriſto, ſecundum illud 1. ad Corinth. 4. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Vnde quantumcumque uideant alios inordinate ſe habere dictis, uel factis, ipſi a ſua rectitudine non recedunt, ſecundum illud Pſalm. 124. Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem. Et ideo in his qui perfectè Deo adhærent per amorem, ſcandalum non inuenitur, ſecundum illud Pſalm. 118. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, * ſcandalũ large ponitur ibi pro quolibet impedimento. Vnde Dominus Petro dixit, Scãdalum mihi es: quia nitebatur eius propoſitum impedire circa paſſionem ſubeundam.

AD SECVNDVM dicendum, quòd in exterioribus actibus perfecti uiri poſſunt impediri: ſed in interiori uoluntate per dicta, uel facta aliorum non impediuntur, quo minu s tendant in Deum, ſecundum illud Rom. 8. Neque mors, neque uita poterit nos ſeparare a charitate Dei.

AD TERTIVM Dicendum, ꝙ perfecti uiri ex infirmitate carnis incidunt interdum in aliqua peccata uenialia, non autem ex aliorum dictis, uel factis ſcandalizantur ſecundum ueram ſcandali rationem: ſed poteſt eſſe in eis quædam appropinquatio ad ſcãdalum, ſecundum illud Pſalm. 72. Mei pene moti ſunt pedes.

ARTICVLVS VI.

Vtrum ſcandalum actiuum poſſit inueniri in uiris perfectis.

A AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quòd ſcandalum actiuum poſſit inueniri in uiris perfectis. Paſſio enim eſt effectus actionis: ſed ex dictis, uel factis perfectorum aliqui paſſiuè ſcandalizantur, ſecundum illud Matth. 15. Scis, quia Phariſæi audito hoc uerbo, ſcandalizati ſunt? ergo in perfectis uiris poteſt inueniri ſcandalum actiuum. 4. di. 38. q. 2. art. 3. q. 2.

¶ 2 Pręt. Petrus poſt acceptum Spiritum ſanctum in ſtatu perfectorum erat: ſed poſtea Gentiles ſcandalizauit. dicitur. n. ad Gal. 2. Cùm uidiſſem, quòd non B recte ambularent ad ueritatẽ euangelii, dixi Cephæ, ideſt, Petro, coram omnibus. Si tu cùm Iudæus ſis, gentiliter, & non iudaice uiuis, quomodo Gentes cogis iudaizare? ergo ſcandalum actiuum poteſt eſſe in uiris perfectis.

¶ 3 Præt. Scandalum actiuum qñq; eſt peccatum ueniale: ſed peccata uenialia poſſunt eſſe in uiris perfectis. ergo ſcandalũ actiuũ poteſt eſſe in uiris pfectis.

SED CONTRA. Plus repugnat perfectioni ſcandalum actiuum, quàm ſcandalum paſſiuum: ſed ſcandalum paſſiuum non poteſt eſſe in uiris perfectis. ergo multò minus ſcandalum actiuum.

RESPON. Dicendum, ꝙ ſcandalum actiuum proprie eſt, cùm aliquis tale aliquid dicit, uel facit, qđ de C ſe tale eſt, ut alterum natum ſit inducere ad ruinã: qđ quidem eſt ſolum illud, quod inordinate fit, uel dicitur. Ad perfectos autem pertinet, ea quæ agũt ſecundum regulam rationis ordinare, ſecundum illud 1. ad Cor. 14. Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant in uobis. Et præcipue hanc cautelam adhibent in his, in quibus non ſolum ipſi offenderent, ſed etiã aliis offenſionem putarent. Et ſiquidem in eorũ manifeſtis dictis, uel factis aliquid ab hac moderatiõe deſit, hoc prouenit ex infirmitate humana, ſecundũ quam a perfectione deficiunt: nõ tñ in tm̃ deficiũt, ut multum ab ordine ratiõis recedatur, ſed modicũ & breuiter, quod non eſt tam magnũ, ut ex hoc rõnabiliter poſſit ab alio ſumi peccandi occaſio.

AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ ſcandalum paſ D ſiuum ſemper ab aliquo actiuo cauſatur, ſed nõ ſemper ab aliquo ſcandalo actiuo alterius, ſed eiuſdem qui ſcandalizatur, quia. ſ. ipſe ſeipſum ſcandalizat.

AD SECVNDVM dicendum, quòd Petrus peccauit quidem, & reprehenſibilis fuit ſecundum ſententiam Auguſtini, * & ipſius Pauli, ſubtrahens ſe a Gentilibus, ut uitaret ſcandalum Iudęorum, quia hoc incautè aliqualiter faciebat, ita quòd ex hoc Gẽtiles ad fidem conuerſi ſcandalizabantur: non tamẽ factum Petri erat tam graue peccatum, quòd merito poſſent alii ſcandalizari. Vnde patiebantur ſcandalum paſſiuum, non autem erat in Petro ſcandalum actiuum. Epiſt. 8. & 9. tom. 2.

AD TERTIVM dicendum, quòd peccata uenia- E lia perfectorum præcipue conſiſtunt in ſubitis motibus, qui cùm ſint occulti, ſcandalizare non poſsũt. Si qua uerò etiã in exterioribus dictis, uel factis uenialia peccata committant, tam leuia ſunt, ut de ſe ſcandalizandi uirtutem non habeant.

ARTICVLVS VII.

Vtrum bona ſpiritualia ſint propter ſcandalum dimittenda.

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd bona ſpiritua-

¶ *Super quaſt. quadrageſimatertia articulum ſeptimum.*

IN arti. 7 ubi dicitur de ſcandalo puſillorum, Si autẽ poſt redditam rationẽ hu- 3. q. 42. ar. 2. Et 4. diſt. 38. q. 2. art. 4. q. 1. & 2. Et Roma. 14. lec. 3.